





Series chronologica patriarcharum Antiochiae

Giuseppe Simone Assemani,
Joannes Notain Darauni, Archivio vaticano







SERIES CHRONOLOGICA

PATRIARCHARUM ANTIOCHIAE

PER

IOSEPHUM SIMONIUM ASSEMANUM

SYRO-MARONITAM

NUNC PRIMUM EX CODICE VATICANO

EDITA

A P. IOANNE NOTAIN DARAUNI

ALUMNO COLLEGII SYRO-MARONITAE URBIS



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXI.

SERIES CHRONOLOGICA

PATRIARCHARUM ANTIOCHIAE

PER

IOSEPHUM SIMONIUM ASSEMANUM

SYRO-MARONITAM

NUNC PRIMUM EX CODICE VATICANO

EDITA

A P. IOANNE NOTAIN DARAUNI

ALUMNO COLLEGII SYRO-MARONITAE URBIS





ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXI.


PUBLIC LIBRAR
590765
TILDEN FOUNDATIONS
R 1912 L


JACOB H. SCHIFF FUND,
NEW YORK PUBLIC LIBRARY.

PRAEFATIO

Anno a Navititate D. N. Iesu Christi 1881, in Vaticana Bibliotheca, Iosephi Simonii Assemani, et Simeonis Evodii Hersonitae, ineditum opus ad manus venit, quod quatuor Patriarchatus respicit. Ex illo quidquid ad Antiochenum Patriarchatum spectat, qua potui, diligentia transcripsi. Nunc autem, attenta ipsius operis novitate, et ad historicam veritatem tutandam, illud evulgare, optimum duxi, adiuncta versione latina et Patriarcharum serie usque ad nostram aetatem. Praecedit etiam synopsis vitae Iosephi Simonii Assemani, eiusque operum, quae typis prodierunt, nota, ut magis Doctissimus hic Scriptor omnibus innotescat, et illius praeclarissimi ingenii opera agnoscantur, quibus, Doctorum omnium plausum et admirationem est assequutus.

Ignoscat Lector, et prae oculis, difficultatem operis habens, si in aliquibus me errasse deprehenderit, benigne indulgeat.

Pater IOANNES NOTAIN DARAUNI

INTRODUCTIO

IOSEPHI SIMONII ASSEMANI

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.
Gloria Divino et adstanti Creatori colendo.

Humiles Dei Servi Simeon Evodius, et Simeon Hesronita, ambo e Maronitarum gente, Patriarchalis honoris dignitatem, eiusqne in Ecclesia Dei excellentiam, perpendentes, cum de illa pauci sermonem instituerint, utile esse duxerunt, aliquid circa illam disserere, licet ad hoc opus complete pertractandum, viribus se destitutos sentiant, et fateantur. In quatuor partes liber hic erit divisus, et in tot capitula quibus felix operis exitus commendatur.

SYNOPSIS VITAE

« **IOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS SYRO-MARONITA**. (1).
« VI.kal. Augusti 1687. Tripoli in Syria nobili genere natus, a
« teneris annis pie et liberaliter educatus a patruo suo Iosepho
« Assemano Tripolitano Archiep. viro pietate, et doctrina omnibus
« spectatissimo. Octennis Romam ad collegium gentis suae mis-
« sus, in humanis divinisque studiis tam mire excelluit, ut iam
« tum reipublicae litterariae id de se polliceretur, quod exitus
« comprobavit. Emenso studiorum curriculo, quum reditum in
« patriam moliretur, Romae detentus, a Clemente XI. P. M.
« codicum manuscriptorum orientalium, quos consobrinus Elias
« Assemanus Antiochenae ecclesiae archipresbyter ad Bibliothe-
« cam Vaticanam non ita pridem transmiserat, intexendo cata-
« logo, Latinaeque Synopsi unus praeficitur ac designatur. Ad
« vota Pontificis mandata facessit, et quidem abunde, late additis
« splendidis aeque ac locupletissimis adnotationibus, dignus pro-
« pterea, qui arabicae, et chaldaicae, seu Syriacae linguae in
« Vaticana Bibliotheca VI. idus Martii an. 1710. constituere-
« tur interpres. Eodem anno IV. nonas Iulii philosophiae ac
« Theologiae laurea donatus, subinde Congregationis super cor-
« rectione librorum Sacrorum Orientalium ab eodem Pontifice
« institutae Consultor renunciatur. Quinquennio post colligen-
« dorum Codicum causa in Orientem missus (2), Iacobo Petro Evo-

(1) I. Docum. — Hoc anno est imago Dñi Iosephi Assemani, ex prima eius Archetypa quae asservatur in Collegio Syro-Maronitarum de Urbe cura P. Ioannis Notain Alumni eiusdem Collegii. Huius imaginis exemplar, in fronte huius libri prostat.

(2) Causa huius expeditionis in Orientem, a Clemente Papa XI, Assemanus habuit Breve exemptionis a choro, retentis honorariis, quod incipit.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecte Fili....... cum tu iussu nostro in Orientem profectus fuisses..... Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die XVIII Aprilis anno 1716.

« dio Patriarcha Antiocheno eius consanguineo suffragante, ex
« Syria, atque Aegypto qua longe lateque patent, eam Manuscri-
« ptorum Codicum copiam celeri cursu Romam deportavit, quae
« ad egregium opus absolvendum, quod Bibliotheca Orientalis Cle-
« mentino-Vaticana inscribitur, abunde suppeteret. Anno 1730
« pridie kalendas Octobris secundus Bibliothecae Vaticanae a
« Clemente XII Custos designatus; III. nonas Ianuarii an. 1739
« in Caroli Maielli Archiep. Emesseni eiusdem Bibliothecae
« primi Custodis, seu praefecti locum successit (1). Qua vero di-
« ligentia, quantoque litterarum incremento hanc Praefecturam
« ad obitum usque gesserit, facile declarant quam plurima
« volumina, quae ipse vel scripsit, vel ab aliis eruditis viris
« publici iuris fieri curavit. Sacrosanctae Basilicae Principis
« Apostolorum de Urbe Clericus Beneficiatus pridie idus
« Decembris an. 1713. VII. kalendas Augusti 1719. Presbyter
« Beneficiatus, demum XV. kal. Ianuarii 1739. Canonicus re-
« nunciatus omnia a Ven. Capitulo munia sibi demandata na-
« viter feliciterque obivit. A. S. Congregatione de Prop. Fide
« in Consilium de rebus ad Orientales Ecclesias pertinentibus,
« ipsamque Catholicam fidem sive tuendam, sive propagandam
« spectantibus frequentissime adhibitus, et a Clemente XII.
« an. 1732. a Cubiculo honoris, mox an. 1735. Praelatus Do-
« mesticus cum indulto usus rochetti, et mitrae creatus; diffi-
« cillima legatione (2) ad Syro-Maronitas pro restituenda eccle-
« siastica disciplina perfunctus est, coactaque in Libano Monte
« Synodo inter infideles, haereticos, atque schismaticos quam-

(1) II. Docum. — Ob hoc novum munus Clemens Pp. XII. breve exem-ptionis a choro ei dedit, quod incipit:

CLEMENS PP. XII.

Dilecte fili........... ratione muneris primi Custodis Bibliothecae nostrae Vaticanae........ Datum ibidem die XXV. Ianuarii 1739.

(2) Ob hanc legationem Clemens Papa XII. confirmavit Breve exemptio-nis supra-relatum, alio Brevi quod incipit:

CLEMENS PAPA XII.

Dilecte fili......... Tu quem Nos ad venerabiles fratres Patriarcham Antiochenum ac Archiepiscopos et Episcopos nationis Maronitarum nostrum et dictae (S) Sedis Ablegatum deputavimus.......... Datum ibidem die VI. Decembris 1735.

« plurimos, inaudito fere multis a saeculis exemplo, ipsam S. Pon-
« tificis totius Romanae aulae procerum expectationem superavit.
« Ab eodem Pontifice nono kalendas Maii 1739 Referendariatu
« utriusque Signaturae auctus a Carolo IV. utriusque Siciliae
« nunc III. Hispaniarum Rege Catholico Neapolitani Regni
« Historiographus an. 1751 electus, subsequenti anno Neapo-
« litana civitate donatus. A Bened. XIV., qui saepe eo fami-
« liarissime in consiliis utebatur, S. Inquisitionis, cui iam pri-
« dem quotidianis, ferme scriptis magno fuerat adiumento, inter
« Consultores adscriptus: a Clemente XIII. S. Poenitentiariae
« Datarius VIII. kal. Octobris 1759: VI. vero kalendas Februa-
« rii 1761 a Sigillo, demum kalendis Decembris 1766 Tyri
« Archiepiscopus renunciatus. Annis meritisque plenus, ac
« omnibus acceptissimus, ultro petitis, pieque susceptis sa-
« crosanctis Ecclesiae Sacramentis placidissime obiit Romae
« idibus Ianuarii an. 1768, sepultusqus est in ecclesia S. Ioan-
« nis Evangelistae Collegii Maronitarum. Tanti viri memoria
« lapis inscriptus.... (1).

(1) IV Docum. — In libris decretorum Capitularium Bas. Vatic. legitur: Die Dominica 3 Martii 1748 Rmus Dmus Assemanus eligitur in Archivistam.

V. Docum. — Die 30 Augusti 1750 confirmatur secundo in Archivistam.

Die 20 Ianuarii 1754 confirmatur Archivista ex libro Decret. Capitul.

Die 9 Februarii 1754, post annos quadraginta servitii choralis petitur et obtinetur iubilatio, seu exemptio definitiva a servitio chori.

VI Docum. — Die 24 Aprilis 1757 eligitur Praefectus Seminarii Vaticani ex libro Decretorum Capit. 1755–1759.

VII Docum. — Die 16 Maii 1762 eligitur Custos Sanctarum Reliquiarum ex eodem libro pag. 78.

VIII Docum. — Die 8 Iulii 1764 confirmatur Custos SS. Reliquiarum, ex eodem libro ab anno 1759 ad 1765.

IX Docum. — In elencho Episcoporum qui fuerunt Canonici legitur: Ioseph Assemanus Canonicus Archiepiscopus Tyri anno 1766.

Huiusmodi documenta extracta sunt ex libris Archivii SS. Basilicae Vaticanae per Dnum Petrum Wenzel Sacerdotem, Clericum Beneficiatum et Subarchivistam eiusdem Basilicae, qui ea exactissime et comiter transcripsit die V Iulii anni 1881.

D. M. O.

IOSEPHO SIMONIO ASSEMANO SYRO-MARONITAE

Archiepiscopo. Tyri. Utriusque. Signaturae. Referendario. Praelato. Domestico. Sanctae. Inquis. Consultori. Sac. Tribun. Poenit. Datario. Et. A Sigillo. Basilicae. Principis. Apostol. Canonico. Bibliothecae. Vaticanae. Praefecto. Ob. Eximias. Animi. Dotes. Linguarnm. Peritiam. Praestantemque Doctrinam. Clementi. XI. Innocentio. XIII. Benedicto. XIII. Clementi. XII. Benedicto. XIIII. Et. Clementi. XIII. Summis. Pontificibus. Acceptissimo. Et. Ad. Graviora. Sacrarum. Urbis. Congreg. Maxime. Vero. Propagandae. Fidei. Consilia. Iugiter. Adhibito. Ad Syro-Maronitas. Pro. Reformanda. Ecclesiastica. Disciplina. Cogendaque. Synodo. Clementis. XII. Ablegatione. Egregie. Functo. Viro. Non. Modo. Omnigenae. Eruditionis. Scriptis. Tum. Editis. Tum. Ineditis. Sed. Etiam. Morum. Innocentia. Et Candore. Religione. In. Deum. Caritate. In. Omnes. Immortali. Memoria. Dignissimo. Stephanus. Evodius. Assemanus. Archiep. Apameae. Vaticanae. Bibliothecae. Praefectus. Sororis. F. Et. Ioseph. Aloysius. Assemanus. In. Romano. Sapientiae. Archi-Gymnasio. Syriacae. Linguae. Et. Sacror. Rituum. Professor. Fratris. F. Consanguineo. B. M. M. PP. Vixit. A. LXXX. M. V. D. XVII. Obiit. Idibus. Ianuarii. A. MDCCLXVIII.

« Iosephi Simonii Assemani Archiep. Tyri, quae hactenus typis prodierunt « opera omnia:

Bibliotheca Orientalis Clementino-Vaticana in qua manuscriptos codices Syriacos, Arabicos etc. recensuit, digessit, et addita singulorum auctorum vita Ioseph Simonius Assemanus in quatuor tomos divisa T. I. de scriptoribus Syris Orthodoxis

Romae 1719. typis S. Congregationis de Propaganda Fide in fol.

T. II. De scriptoribus Syris Monophysitis etc. Romae 1721 eisdem typis in fol.

T. III. De scriptoribus Syris Nestorianis Romae 1725 eisd typis in fol.

T. IV De Syris Nestorianis Romae 1728 eisd. typis in fol. Dissertatio de Syris Monophysitis Romae 1730 eisd. typis in fol.

De Sacramento confirmationis, a presbyteris Graecis ceterisque orientalibus administrato, Romae typis Camerae Apostolicae in fol. an. 1725.

Chronicon Orientale Petri Rahebi Aegyptii, primum ab Abrahamo Ecchellensi ex arabico latine redditum, nunc nova interpretatione donatum a Iosepho Simonio Assemano: accessere dissertationes quatuor eiusdem Assemani. Venetiis 1731. ex typographia Bartholomaei Iavarina in fol.

Menologium Graecorum, iussu Basilii Imperatoris, graece olim editum, nunc graece et latine prodiit in tres partes distributum, pars I, complectens septembrem, octobrem, novembrem. Pars II, complectens decembrem, ianuarium, februarium, interprete Clemente XI dum adhuc in minoribus esset. Pars III, complectens Martium, Aprilem, Maium, Iunium, Iulium, Augustum, interprete Iosepho Simonio Assemano, qui et duas priores partes recognovit, Urbini 1727. ex typographia ven. capellae SS. Sacramenti apud Antonium Fantauzzi in fol.

S. Patris nostri Ephraem Syri Graeca omnia quae extant opera in tres tomos, e Graeco latine reddita a Iosepho Simonio Assemano, cum praefationibus et notis, nec non catalogo operum omnium S. Ephraemi, quae typis prodierunt, aut manuscripta extant in Bibliothecis. Romae ex typographia Vaticana 1732–1743–1747 tomi tres in fol.

De Sanctis Ferentinis in Tuscia Bonifacio, ac Redempto Episcopis deque Presbytero et martyre Eutichio, dissertatio Iosephi Simonii Assemani ad Annibalem Cardinalem Albanum Romae 1748 typis Generosi Salomoni in 4°.

Grammatica Graeca Urbini ex typographia SS. Sacramenti 1737 tomi duo in 8°.

In funere Friderici Augusti II. Poloniae Regis oratio habita in Basilica S. Clementis die 22 Maii 1733. ex typographia Vaticana in 4°.

Oratio habita in Basilica Vaticana die 22 Februarii 1732 dum a R. Capitulo et Canonicis solemnes exequiae Benedicti XIII celebrarentur Romae ex typographia Hieronymi Mainardi 1732. in 4°.

Oratio de eligendo Summo Pontifice ad S. R. E. Cardinales habita in Basilica Vaticana die 18 Februarii 1740. Romae ex typographia Vaticana apud Io. Mariam Salvioni in 4°.

Clementis XII Apostolicae litterae, quibus praescribuntur regulae pro recta administratione et conservatione Bibl. Vaticanae a Simonio Assemano eiusdem Praefecto collectae, Romae 1739 typis Vaticanis in 4°.

Acta consistorialia habita die 13 Iulii 1744. quum Simon Petrus Evodius a Benedicto XIV. Antiochenus Patriarcha est confirmatus una cum litteris eiusdem Patriarchae et Episcoporum ad SS. D. N. Bened. XIV Romae typis S. Congr. de Prop. Fide 1744. in 4°.

Acta consistorialia habita die 26 Novembris 1742 quum Benedictus XIV. confirmavit electionem Petri Vartabiet in Patriarcham Armeniae minoris et Ciliciae, eique Pallium concessit, Romae typis S. Cong. de Prop. Fide 1742. in 4°.

Acta consistorialia habita 28 Martii 1757 quum Benedictus XIV. Tobiam (Gazenum) electum Patriarcham Antiochiae confirmavit, et Pallio donavit, Romae typis S. Congr. de Prop. Fide 1757. in 4°.

Iosephi Simonii Assemani Regulae et Constitutiones monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis S. Antonii Abbatis cong. Montis-Libani arabice et latine, praemittitur epistola arabica ad Abbatem Generalem et Monachos de origine et progressu eiusdem ordinis in Syria, et Monte Libano Romae typis Petri Ferri 1735. in 4°.

Eiusdem epistola arabica ad Abbatem Generalem et Monachos Maronitas cong. S. Isaiae de origine Monachorum Montis-Libani. Romae ex typographia Ioannis Mariae Salvioni 1741. in 8°.

Eiusdem epistola ad Abbatissam et Sanctimoniales Melchitas Ordinis S. Basilii ritus Graeci, de origine Sanctimonialium Basilianarum in Syria et Monte-Libano, Romae typis S. Cong. de Prop. Fide 1764. in 4.

Kalendaria Ecclesiae Universae, in quibus ex marmoribus, codicibus, tabulis... Sanctorum nomina, imagines, festi dies

recensentur, notisque illustrantur, Romae 1750—5 sumptibus Fausti Amidei tomi sex in 4°. quibus Kalendaria Ecclesiae Slavicae sive graeco—moschae comprehenduntur.

Italicae historiae scriptores ex Bibl. Vaticanae aliarumque insignium Bibliothecarum manuscriptis codicibus collecti, additis praefationibus et notis. Romae 1751—3. tomi quatuor in 4°, in quibus de rebus neapolitanis, et siculis disseritur.

Bibliotheca Iuris Orientalis canonici et civilis Tom. I. Codex Canonum Ecclesiae Graecae Romae 1762. typis Francisci Bizzarrini Komark in 4°.

Tom. II. Codex Iuris civilis Ecclesiae Graecae ibidem 1762. in 4°.

Tom. III,—IV.—V. Appendix ad codicem iuris Canonici et civilis Ecclesiae Graecae ibidem 1763.—4.—6. in 4°.

Epistola Arabica ad Abbatem Generalem et Monachos Graecos Melchitas Ordinis S. Basilii de origine et progressibus Monasterii Ordinis Basilianorum in Cappadocia et Syria et Monte Libano, Romae typis S. Cong. de Prop. Fide 1758. in fol.

Eiusdem Ios. Simonii Assemani, quae adhuc manuscripta extabant ante incendium fortuitum eius, et Stephani Evodii Archiepiscopi Apameae suppellectilium et Bibliothecarum, quod in cubiculis Vaticanae Bibliothecae adnexis die 30 Augusti an. 1768 contigit, opera omnia, vel incepta, vel absoluta, et primo:

Bibl. Or. Tom. V. de Syriacis, Arabicis Sacrarum Scripturarum versionibus.

Tom. VI. de libris ecclesiasticis Syrorum.

Tom. VII. de conciliorum collectionibus Syriacis.

Tom. VIII. de conciliorum collectionibus Arabicis.

Tom. IX. de Scriptoribus Graecis in Syriacum et Arabicum conversis.

Tom. X. de Scriptoribus Arabicis Christianis.

Tom. XI. XII. de Scriptoribus Arabicis Mahometanis.

Kalendaria Ecclesiae Universae (sex tomi typis editi.)

Tom. VII. kalendaria vetusta Graecorum.

Tom. VIII. kalendaria vetusta Syrorum Maronitarum, Iacobitarum, Nestorianorum.

Tom. IX. kalendaria vetusta Armenorum.

Tom. X. kalendaria vetusta Aegyptiorum, atque Aethiopum.

Tom. XI. XII. kalendaria vetusta latinorum.

Italicae historiae scriptores iam Tom. 4 typis editi.

Tom. V. VI. de antiquis rerum Neapolitanarum et Siculorum Scriptoribus.

Tom. VII. VIII. IX. et X; anecdota rerum Neapolitanarum et Siculorum monumenta; subiiciuntur alia huiusmodi ad res Italicas spectantia, nimirum ad regnum Longobardicum, ad ducatum Romanum, Spoletinum, Foroiulianum, Tusciae etc.

De sacris imaginibus et reliquiis.

Tom. I. De sacris imaginibus musivis, pictis, et anaglyptis, quae in vetustis Orientis et Occidentis Ecclesiis servantur.

Tom. II. de sacris imaginibus, quae in antiquis manuscriptis codicibus latinis, graecis, et aliis orientalibus servantur.

Tom. III. de sacris imaginibus D. N. I. Christi.

Tom. IV. de sacris Deiparae Virginis imaginibus in Oriente et Occidente cultis.

Tom. V. de sacris Palestinae locis, et venerandis reliquiis, quae ad Christum Dominum et ad virginem Deiparam referuntur.

Excerpta ex huius operis tomo I. vulgavit cl. V. Ioannes Bottarius in dissertatione de Lateranensibus parietinis Nicolai Alemanni recusa Romae 1756. typis Salvionorum a pag. 135. ad 201. haud exigua eiusdem operis pars ex incendio erepta penes haeredes asservatur.

Synodus Antiochena Maronitarum a Iosepho Petro Gazeno Patriarcha eiusque Archiepiscopis, Episcopis celebrata in Monte Libano 1736. praeside Iosepho Simonio Assemano Clementis Papae XII. Ablegato apostolico, qui eamdem Synodum arabice composuit, et latine reddidit: latinum exemplar a Benedicto XIV. approbatum et confirmatum extat in archivio cong. de Prop. Fide, arabicum vero ad archetypum conlatum, quocum concordare testantur eiusdem Synodi Patres quorum subscriptiones et sigilla in calce occurrunt apud haeredes incendio ereptum.

Euchologia Ecclesiae Orientalis complectentia ritus et ordines divinae liturgiae officiorum, Sacramentorum, consacrationum, et benedictionum, additis, doctorum utriusque Ecclesiae opusculis nondum editis, in septem libros distributa.

Liber I. Euchologium Ecclesiae Syriacae Maronitarum.

Liber II. Euchologium Ecclesiae Syriacae Iacobitarum,
Liber III. Euchologium Ecclesiae Syriacae Nestorianorum.
Liber IV. Euchologium Ecclesiae Graecae Melchitarum.
Liber V. Euchologium Ecclesiae Armenorum.
Liber VI. Euchologium Ecclesiae Aegyptiacae coptorum.
Liber VII. Euchologium Ecclesiae Aethyopicae Abyssinorum.

Concilia Ecclesiae Orientalis sex in tomos digesta, quorum plurima vel integra, vel magna ex parte nunc primum in lucem exeunt, ex manuscriptis codicibus Orientalibus.

Tom. I. Concilia Ecclesiae Syriacae Maronitarum.
Tom. II. Concilia Ecclesiae Chaldaeorum, sive Nestorianorum.
Tom. III. Concilia Syrorum Iacobitarum.
Tom. IV. Concilia Coptorum.
Tom. V. Concilia Armenorum.
Tom. VI. Concilia Graecorum, Albanorum, et Ruthenorum.

Syria vetus et nova, libri IX.

Liber I. Summa totius Syriae descriptio.
Liber II. de Palestina.
Liber III de Phoenice.
Liber IV. de Syria, Caele, Euphratesia.
Liber V. de Mesopotamia.
Liber VI. de Assyria,
Liber VII. de Cilicia.
Liber VIII. de Arabia,
Liber IX. de Cypro.

Liber II. et IX. cum variis fragmentis ceterorum librorum ex incendio erepti extant apud haeredes.

Historia orientalis, lib. IX.

Liber I. de Syris Maronitis.
Liber. II. de Graecis Melchitis.
Liber III. de Drusis et Nazaraeis.
Liber IV. de Mahometanis.
Liber V. de Coptis,
Liber VI. de Syris Iacobitis.
Liber VII. de Aethyopibus, sive Abyssinis.
Liber VIII. de Syris Nestorianis.
Liber IX. de Armenis.

Dissertatio theologica de validitate Ordinis ab Episcopis Aegyptiis conlati nec non aliae dissertationes, informationes,

et vota in variis causis, et dubiis Christianorum praesertim Orientalium, Iosepho Simonio Assemano a SS. Congregationibus de Prop. Fide, et S. Officii iugiter remissis, quae scripta extant in archiviis earumdem congregationum, ea autem omnia in unum congesta plura magna volumina conficiunt.

Grammatica Syriaca absolutissima, arabice exposita notisque vocalibus animata extat apud haeredes ex incendio erepta.

Logica arabica extat apud haeredes ex incendio erepta. Metaphysica I. S. Assemani arabice exarata. Theologia dogmatica arabice exarata. Interpretatio difficiliorum passuum veteris et novi Testamenti et explicatio. »	quorum plura exemplaria nunc existunt.

Hucusque documentum Vaticanum.

Huius ultimi operis extat codex in Bibl. Patriarchatus Nostrae Nationis.

Auctor huius documenti, nescio qua ratione, non facit mentionem aliorum operum Assemani, operis scilicet, cui titulus , Catalogus antiquorum codicum manuscriptorum orientalium Bibl. Apostolicae Vaticanae, quod opus, cooperante Stephano Evodio Assemano ex sorore nepote, composuit: et alterius operis, cui titulus « de quatuor patriarchatibus et eorum Patriarchis » quod cooperante Patriarcha Simonio Evodio, dum Romae simul studio operam dabant, arabice compilavit, cuius exemplaria ad multorum manus extant manuscripta.

Nec non et alterius operis arabici de morali theologia, cui titulus « Expositio Decalogi » cuius originale extat in Bibliotheca monasterii Monachorum Maronitarum Romae.

Assemanus ipse ad aliqua horum operum alludit in praefatione operis « kalendaria Ecclesiae Universae » Tom. I. pag. 30. « Itaque seposita huiusce libri evulgandi cura ad alia, quae « iam pridem aggressus fueram opuscula perficienda animum « adiicio, ac praesertim, de Syria vetere ac nova, deque Orien- « talium Christianorum, qui a multis iam saeculis in Syros, « Melchitas, Armenos, et Coptos divisi sunt, historia, conciliis, « ritualibus, deque aliis nonnullis ad Italicam historiam, et « litterariam eruditionem spectantibus , quorum catalogum « prope diem editurus sum » Post haec dicit se completurum

esse opus, cui titulus « kalendaria Ecclesiae Universae » et compilaturum opus « de imaginibus » In fine autem chronici orientalis dicit « In animo fuerat alias dissertationes subiun-
« gere de Patriarchis Syris Melchitis, Maronitis, Nestorianis,
« deque Armenis, Georgianis, atque Aethyopibns, seu Abis-
« sinis, nec non seriem historiamque paulo diligentius, quam
« in chronico tractatam Chalifarum Regumque Mahometano-
« rum, a Mahometi temporibus ad nostram usque aetatem:
« cui operi ad exitum perducendo multa mihi adiumenta esse
« potuissent, ac praesertim multiplices manuscripti codices
« Syriaci et Arabici in Vaticanam Bibliothecam nuper invecti...
« verum quum typographus editionem huius chronici urgeat,
« istam adornandam Orientalem historiam in aliud tempus
« reiicio » Pariter etiam alludit ad quaedam in Bibl. Or. Tom. I. prologo de scriptoribus Syris « Quartum Graeci, Latini alia-
« rumque gentium scriptores, cum Orthodoxi, tum haeretici
« in Syriacum conversi... Patriarcharum praeterea Syrorum,
« Maronitarum scilicet, Melchitarum, Iacobitarum, et Nesto-
« rianorum seriem: omnia summa fide ex codicibus Clementino
« Vaticanis eruta »

Praedicta omnia fideliter transcripta sunt ab originalibus, quae in archivio Basilicae Vaticanae asservantur, per P. Joannem Notain Darauni Monachum Congregationis S. Antonii Libanensis, anno Domini 1881.



SERIES
PATRIARCHARUM ANTIOCHENAE URBIS

PER

D. Josephum filium Simeonis Assemani. (1)

I. Primo Apostolus **S. Petrus** Antiochenam Ecclesiam anno 38 Iesu Christi die 12 februarii fundavit, eamque septem annis rexit. Deinde anno 45 Romam cathedram suam transtulit, electo prius secundo Patriarcha Antiocheno

II. **S. Evodio** anno 46, qui sedit an. 25, vel 23 juxta aliam lectionem, aut 27 iuxta alios, et anno 71 aerae Christianae martyrio est coronatus, quod alia in lectione evenisse dicitur anno 79. Existimant plures non Evodium, sed Ignatium fuisse immediatum S. Petri in Antiochena Sede successorem, sed hoc falsum esse facile evincitur, ex eiusdem S. Ignatii ad populum Antiochenum epistola, in qua Evodium Praedecessorem suum appellat. Quidam affirmant S. Evodium non fuisse Patriarcham Antiochenum, ideoque post S. Petrum, S. Ignatium ponunt, deinde S. Heronem. Ast hoc a veritate alienum est, omnes namque historici S. Evodium Patriarcham Antiochenum fuisse testantur. Ipsa Ecclesia Romana honore eum prosequitur , festum eius agens die 6 Maii sub titulo Episcopi Antiocheni. Alii pariter dicunt, duos eodem tempore Antiochenos Patriarchas extitisse S. Evodium scilicet et S. Ignatium; Evodium a Petro, Ignatium a Paulo electum. Ast omnes docti conveniunt, quod dum Romam euntem Petrum Ignatius vidit, Antiochenam Ecclesiam non regebat, sed hoc officium S. Evodio reliquit ut S. Petro qui eum elegerat, reverentiam exhiberet, et solum anno 71 Christi post S. Evodii mortem, illi Ecclesiae praefuit.

III. Patr. fuit **S. Ignatius** Martyr qui sedit an. 39 vel 32, aut 4 iuxta varias lectiones et varias auctorum opiniones , Romae an. 110 Chr. martyrio coronatus est.

IV. Patr. **S. Heron** sedit an. 21, vel 20, martyr occubuit an. 131.

(1) Hoc opus Iosephi Assemani extat in Biblioth. Vat. Cod. 421.

V. Patr. **S. Cornelius** sedit an. 12 vel 16, aut 20; obiit an. 143.

VI. Patr. alius **S. Heron,** Eros dictus sedit an. 27 vel 6 et obiit an 170.

VII. Patr. **S. Theophilus** ex Antiochena nobilitate; eo rogante S. Lucas Evangelium et actus Apostolorum composuit, et postquam sedisset an. 12 vel 13 aut 21, obiit an. 182.

VIII. Patr. **S. Maximus** Maximinus dictus, sedit an. 9. vel 13 et obiit an. 191.

IX. Patr. **S. Serapion** sedit an. 22 vel 25 aut 10 iuxta-varias opiniones, obiit an. 213.

X. Patr. **S. Asclepiades** Aschitinius dictus sedit 6, aut 9 an. et obiit an. 219.

XI. Patr. **Philetus** Philiman dictus, sedit an. 12, vel 13, aut 8, et obiit an. 230.

XII. Patr. **Zebennus** sedit. an 11. vel 6, aut 9, vel 10 iuxta varias scriptorum opiniones, et obiit an. 241.

XIII. Patr. **S. Babylas** sedit 12 an. vel 13, aut 9 et an. 253 martyrio est coronatus.

XIV. Patr. **Fabius,** Fabianus et Facun dictus, sedit 2 an. aut 9 vel 11 iuxta varias lectiones, et an. 255 obiit.

XV. Patr. **S. Demetrius,** Demetrianus dictus, sedit an 7. vel 8 aut 4, et martyr occubuit an. 262.

XVI. Patr. **Paulus** Samosatenus qui sedit an. 10 vel 8 iuxta alios, depositus et anathemate perculsus fuit an. 272, vel 270 iuxta alios. Samosatenus appellatus fuit quia Samosatae civis erat, Paulianistarum haeresis auctor fuit,qui ab eius nomine sic sunt appellati. Hic autem eius error fuit. Asserebat Dominum N. Iesum a Divinitate creatum tamquam unum ab essentia, et principium illius a Maria fuisse, ad humani generis Redemptionem missum per gratiam divinam, quae in illo fuit voluntate et amore, ideoque Filius Dei appellatur.

Unde unam substantiam divinam admittebat, unamque Personam, nec in Verbum et Spiritum Sanctum credebat. Post eius mortem 13 Episcopi Antiochiae convenerunt ad hanc haeresim damnandam, et ad confirmandam fidem Catholicam.

XVII. Patr. **Domnus** Domnicus dictus, sedit an. 5. vel 2, aut 3 iuxta alias lectiones, obiit an. 277.

XVIII. Patr. **Timaeus** sedit 6 an. 3 aut decem, iuxta, varios, obiit an. 283.

XIX. Patr. **Cyrillus** sedit 16 an. vel I5, et obiit an. 299.

XX. Patr. **Urus,** Tyrannus dictus, sedit 13 an. vel 11. iuxta alios, et obiit an. 312.

XXI. Patr. **Vitalis** sedit 2 an. vel 6 iuxta alios. Hic synodis Ancyrae et Neocaesareae interfuit, et obiit an. 314.

XXII. Patr. **S. Philogonius** sedit an. 5, et obiit an. 319.

XXIII. Patr. **Paulinus** qui et Paulus sedit an. 5, et obiit an. 324. Alibi legitur, an. 317 fuit electus, sedit an. 5, et obiit an. 322.

XXIV. Patr. **S. Eustatius** Magnus dictus, sedit 18 an. vel 8, et eius tempore Concilium primum Nicaenum contra impium Arium fuit celebratum, depositus et in exilium pulsus ibi obiit an. 342. Ast alibi eius electio refertur ad an. 322, et sessio an. 18 mors vero ad annum 340. Cum exul esset, Ariani alium Patriarcham elegerunt nomine Eulalium, Arianum qui hanc sedem tenuit anno 335, et anno 338 obiit cum 3, vel 11. an. sedisset. Huic successit Euphronius, Hubrianus dictus, pariter Arianus qui sedit an. 2, vel 8, et anno 340 obiit. Hoc anno etiam S. Eustatius moritur, vel an. 342 ut alii volunt.

XXV. Patr. **Placillus** vel Blasius vel Blasitus dictus, Arianus sedit an. 8, vel 4 aut 12 iuxta variorum opiniones, et obiit an. 344. Exinde Ariani victoriam consequuti, Antiochenam Sedem occuparunt.

XXVI. Patr. **Eustatius,** Stefanus dictus, Arianus sedit an. 6, vel 5, et an. 350 obiit.

XXVII. Patr. **Leo** Leontius dictus, Arianus sedit 6 vel 8, aut 9 iuxta varias opiniones, et an. 356 obiit.

XXVIII. Patr. **Eudoxius** Germanae Episcopus Arianus sedit 3 an. vel 9. Anno 359 Constantinopolim missus, illam sedem 10 an. tenuit, deinde in Antiocheno Patriarchatu successit.

XXIX. Patr. **Anianus** Hadrianus etiam appellatus, Mennae discipulus, 1 an. vel 4 sedit et an. 360 obiit.

XXX. Patr. **S. Meletius** qui et Meletianus Catholicus qui an. 21 vel 25 sedit. Hoc tempore secundum Concilium Constantinopolitanum contra Macedonium haereticum celebratum fuit. Obiit autem S.Meletius an. 381 in eodem Concilio; pri-

mo anno suae electionis ab Arianis depositus fuit, et eius loco Euzoius Arianus electus est an. 360, qui sedit 7 an. et anno 367 obiit, adhuc exule S. Meletio. Primo autem tempore regiminis Euzoii, Catholicorum Patriarcha eligitur S. Paulinus qui sedit an. 27 et obiit an. 389. Huius electionis causa schisma in Antiochena Ecclesia ortum est, quidam enim Catholicorum, S. Meletium, alii S. Paulinum sequebantur. Interea, Euzoio defuncto, Ariani Dorotheum elegerunt, quo mortuo, in Antiochena Sede duo Patriarchae fuerunt, scilicet S. Meletius exul, et S. Paulinus. Cum autem in secundo Concilio ex hac vita migrasset S. Meletius, Patres in eodem Concilio. an. 381.

XXXI. S. **Flavianum** elegerunt, qui sedit an. 23 vel 6 et an. 404 obiit. Post eius electionem adhuc Patriarchatum S. Paulinus retinebat, qui tamen ante Flavianum an. 399 obiit, et in eius locum elegerunt Evagrium. Quidam cum Evagrio communicabant, quidam vero sequebantur S. Flavianum. Sedit Evagrius 3 an. vel 5, obiit an. 392. Anno decimo primo Patriarchatus S. Flaviani, sectatores S. Evagrii et S. Paulini cum Flaviano iterum communicarunt. Defuncto S. Flaviano an. 404 omnibus convenientibus Successorem elegerunt

XXXII. Patr. **Porphyrius** qui sedit. an. 4 vel 10, et obiit an 408.

XXXIII. **Alexander** qui sedit an. 3 vel 4 iuxta varios et an. 411. obiit

XXXIV. **Theodotus** qui et Brudutius sedit an. 16 vel 4, aut 6 iuxta variorum opiniones, an. 427 obiit.

XXXV. **Ioannes** sedit 13 an. vel 11., et eius aetate Ephesinum Concilium contra Nestorium celebratum fuit; obiit an. 440.

XXXVI **Domnus** sedit an. 9, vel 21, vel 8, et an. 449 depositus fuit.

XXXVII. **Maximus** sedit an. 7. vel 4. Hoc tempore quartum Concilium chalcedonense contra Dioscorum celebratum fuit; obiit an. 456. Pariter hac aetate Nestorius Constantinopolitanus Patriarcha in Chaldea mortuus est. Hoc autem ideo evenit, quia dum tertium Concilium Ephesi celebrabatur, Nestorius iussu Thedosii Imperatoris, excommunicatus et depositus atque in exilium Mossul missus fuit, ut Anastasius Pa-

triarcha Antiochenus refert. Deinde in Mesopotamiam inter Chaldaeos Nestorius haeresim suam transtulit, quam Chaldaei amplexati sunt, et a Nestorio, Nestoriani sunt appellati. Existimant alii non fuisse a Nestorio inter Chaldaeos haeresim hanc translatam, sed a Barsuma Nysibeno Episcopo, qui eam promulgavit inter Chaldaeos tempore Iustiniani Imp. et omnes illi qui Barsumae haeresim sequebantur, Nestoriani sunt appellati. Deinde Metropolita Babyloniae Catholicos dictus constituitur sub iurisdictione Antiocheni Patriarchae. Cum autem ab hoc Patriarcha reiecta haeresis Nestorii fuisset, noluit se subiicere, et Patriarcham Babyloniae, aut Nestorianorum se creavit, et sic Chaldaei ab aliis nationibus Patriarchae Antiocheno subiectis, sunt separati. Exinde proprium Patriarcham constituerunt ita ut usque ad annum 1550 eorum series protrahatur. Ast deinde hic mos proprium Patriarcham constituendi desinit, duosque Patriarchas habuerunt; unde Elia Patr. defuncto, alius Elias eiusdem familiae, deinde alius eiusdem nominis successit, et sic Patriarchatus, familiae illius haereditas evasit. Cum hoc quidam Nestoriani, Armeniae montium incolae, aegre ferrent, Eliae Patriarchae obedire noluerunt, et sibi alium Patriarcham nomine Simeonem elegerunt, ad cuius mortem alium Simeonem ex eadem familia habuerunt, et sic usque ad nostram aetatem isti, Patriarchas constituerunt sub nomine Simeonis, alii sub Eliae nomine. Elias autem Patriarchae Orientalis titulum usurpavit, et habet subiectos quatuor Episcopos, idest Persiae, Nysibis, Basarat, Mosel, et plures alios Ast Simeon, Chaldaeorum Patriarcha passim dicitur , sub eius iurisdictione tres Archiepiscopi et Viginti Episcopi sunt. Anno 1686 quidam Monachi, Catholicae fidei propagatores, plures Nestorianos ad veram fidem adduxerunt , qui proprium Pastorem ad gubernandum non habentes, Innocentium XI Pp. de omnibus certiorem factum, rogaverunt pro constitutione Patriarchae ad eos dirigendos. Annuit eorum precibus Summus Pontifex et eodem anno, Patriarcham eis concessit nomine Iosephum in civitate Diarbhkir, qui Chaldaeorum Patriarcha nominatur, et sic tres Patriarchae pro Chaldaeis inveniuntur, duo pro haereticis, alius pro Catholicis. Exinde etiam intelligit lector Chaldaeos numquam Patriarchas Antiochenos fuisse; etenim Chaldaeorum Patriarcha prius erat Catho-

licus Babyloniae, Antiocheno Patriarchae subiectus; et etiam apprehendit quod non appellatur nisi Patriarcha Babyloniae sive Chaldaeorum, quia eorum Patriarcha fuit solus Catholicus Babyloniae, Antiocheno Patriarchae subiectus, qui Babyloniae aut Chaldaeorum Patriarcha, et non aliter appellabatur. Nunc Patriarcharum seriem resumamus Post mortem Maximi electus fuit.

XXXVIII. Patr. **Basilius** qui 2 an. vel 3 iuxta alios sedit, et an. 458 obiit.

XXXIX. Patr. **Acacius** 1 an. sedit, et an. 459 obiit.

XL. Patr. **Martyrius** sedit an. 12 vel 13 aut 8 iuxta varios, et anno 471 Petri Fullonis fraude, depositus fuit.

XLI. Patr. **Petrus, Fullo** dictus, haereticus, qui cum Antiochenam Sedem invasisset, ut Eutychetis haeresim propagaret, et confirmaret, celebri Trisagio addere iussit has voces « qui crucifixus es pro nobis. » quae formula cum significaret tres Personas divinas in crucem actas, eius defensores Theopaschitae sunt appellati. Ast 1 an. Patriarchatus sui, ab Imp. Leone in exilium pulsus, in propria sede Martyrius restituitur, quam 3 an. retinuit, et iterum a Zenone Imp. in exilium relegatus fuit. an. 474.

XLII. Patr. **Iulianus** qui sedit 5 an. vel 15 menses iuxta alios, quo defuncto, Petrus Fullo 3. an. Ant. Sedem iterum occupavit, ast iussu Simplicii Papae, ab Imp. Zenone in exilium pulsus est.

XLIII. Patr. **Ioannes** sedit 9 menses, aut 6 an. iuxta alios, et depositus fuit.

XLIV. Anno 478 **S. Sthephanus** electus fuit, qui sedit 1 vel 2 aut 3 an. iuxta varias lectiones, et Petri Fullonis iussu martyr occubuit.

XLV. Alius Patr. **S. Stephanus** sedit an. 3, vel 1, aut 6 menses iuxta alias lectiones, et an. 482. obiit.

XLVI. Patr. **S. Calandion** sedit 1 vel 2, aut 4. an. iuxta variorum opiniones, et in exilium pulsus est; deinde Petrus Fullo rediit, et 1 an. sedit, et a Ioanne exulare cogitur, qui Famae Episcopus fuerat constitutus an. 483. Ei successit

XLVII. Patr. **Ioannes** qui sedit 1 an. nam an. 484 depositus est, et iterum Petrus Fullo occupavit sedem 2 an. et mortuus est. Hic in Patriarchatu vixit 7 an. et eius mors accidit an. 486.

XLVIII. Patr. **Palladius** sedit 10 an., et an 496. obiit.

XLIX. Patr. **Flavianus** sedit iuxta variorum opiniones 17 vel 7. 13 aut 14 an, et ab Imp. Anastasio an. 513 depositus est.

L. Patr. **Severus** haereticus, Iacob Baradai magister, qui unam in Christo naturam esse affirmabat. Ast Chalcedonense Concilium eum condemnavit, qua de causa ipse omnes catholicos persequebatur, sedit 6 an., et ab Imp. Iustino an. 519 in exilium missus, ibi usque ad annum 536 vixit. Eodem tempore vivebat Iacob Baradaeus, seu Zanzalus Rahae Edessae Episcopus, qui in Christo unam naturam esse dicebat absque unione et transformatione, duas vero denegabat, eius sectatores Syri Iacobitae, a Iacob dicti, abaliis Catholicis avulsi sunt, qui Patriarchae Antiocheno erant subiecti; Severus exilio mulctatus, apud Iacob discipulum suum in Mesopotamiam sese recepit, ab ipsis Iacobitis honorifice exceptus, ut per ipsos patet, quia tamquam Sanctum venerati sunt, et proprium eius festum statuerunt tamquam proprii Patriarchae, hoc modo eorum Patriarcha constitutus est. Post eius mortem usque ad nostra tempora Patriarcharum successores Iacobitae habuerunt, titulo Patriarchae Antiocheni, ut successor Severi Pat. Sed hoc falso, nam, dum Severus ab Antiochena Sede fuit depositus, Patriarchalem etiam auctoritatem amisit, et solum Iacobitarum Patriarcha remansit. Catholici enim post eius depositionem alium Patr. nomine Paulum elegerunt, deinde Ephasium, post S. Ephraem et sic alios, ita ut isti, veri Ant. Patr. fuerint, non qui Severo succedebant. Iacobitarum Patr. prius in monasterio Zephereni vivebat, apud Mardin, nunc vero in Amad idest Diar Barcki, et gaudet appellari Ignatius Antioch. Patr. ut indicet S. Petri Ap. in illo Patr. esse successorem. Sed nos supra demonstravimus non Ignatium, sed Evodium S. Petri successorem in Patriarchatu fuisse, teste ipso S. Ignatio.

Iacobitarum autem Patriarcha sub iurisdictione habebat 5 Archiep. et 5 Episc. proprio nomine vocantur. 1. Arch. Diarbekir, appellabatur Dionysius, nunc dicitur Timotheus. 2. Arch. Mossul, Basilius. 3 Arch. Madan, Cyrillus. 4 Arch. Aleppi, Dionysius. 5. Arch. Ierusalem, Gregorius. Episcopi autem sunt 1 Episcop. Mardin et Nisibis Athanasius. 2. Ep. Edessae Severus. 3 Ep. Algesyrae Iulius. 4. Ep. Giorgiay. . . . . .

. . . . 5. Ep. Damasci, Gregorius. An. 1645 B. Virgine Maria adiuvante, Andreas Achigian Syrus Aleppinus a Patr. Ioseph Allacuri Maronita, a Iacobitarum erroribus ad veram fidem conversus est, et Maronita effectus, Romam missus fuit ad sacras moralesque scientias ediscendas , et ferme duobus annis in tyrocinio mansit. Deinde ad Antiochenum Patriarcham reversus, Presbyter ordinatus est, deinde etiam Episcopali dignitate fuit insignitus an. 1656. Postea a Patr. Ioanne Sefravensi Aleppum missus , plures Iacobitas ad fidem catholicam reduxit, quos Syros vocavit, eorumque Patriarcha fuit constitutus. Ex tunc duo Patriarchae Syrorum extiterunt, pro Catholicis scilicet, et pro Iacobitis usque ad hanc aetatem, qui non sunt cum Patriarchis Antiochenis immiscendi, ad eorum quippe seriem non pertinent; nam Syrorum Patriarchae recentiores sunt ut supra narravimus. Nunc ad Patr. seriem redeamus. Deposito Severo haeretico.

LI. Patr. **Paulus** sedit 2 vel 3 aut 5 an. iuxta varias lectiones, et an. 521, eo assentiente, depositus fuit.

LII. Patr. **Euphrasius** sedit 5 an. et an. 526 obiit.

LIII. Patr. **S. Ephraem** qui contra haeresim Iacob Albaradith Eutychetis et Dioscori scripsit, sedit 20 vel 18 an. Tempore Patr. S. Ephraem, Armeni Patr. Antiocheno obedientiam praestare noluerunt, et Patriarcham Armenorum constituerunt nomine Catholicum, aut Armenorum Patriarcham, et hoc evenit an. 521, dum S. Gregorius Illuminator Armenae nationi Evangelium praedicabat, teste Card. Baronio. Fidelium numero aucto, in Armenia alios Episcopos constituerunt. Metropolitam autem habebant nomine Catholicum Armenorum, Patriarchae Antiochiae subiectum. Anno autem 535 Armeni, Iacobi Albaraditae haeresim sequuti sunt, et anno 650 illam Macarii; affirmabant autem in Domino Nostro Iesu Ch. unam naturam, unamque voluntatem. Hac de causa eorum Catholicus Patr. Antiocheno obedientiam denegavit, et Armenorum Caput fuit, sicut Iacobitarum Patriarcha apud Syros; et non solum Patr. Antioch. dimisit, sed etiam a Sancta Romana Ecclesia recessit. Ideo Armeni a Catholicis sunt separati et divisi, et hoc modo usque ad annum 1080 permanserunt. Hoc anno Armenorum Patriarcha una cum gente sua Pont. Rom. S. Gregorio VIII se subiecit. Ast paulo post iterum haeretici evaserunt, licet

anno 1145 sub Eugenio III Armenorum Catholicus una cum Episcopis et Metropolitis suis iterum Catholicam Ecclesiam sequuti sint; postea adhuc haeretici efficiuntur, et anno 591 Patr. Gregorius Caelestino III. Pont. obedientiam pollicitus est, et sic usque ad Florentinum Concilium hunc morem tenuerunt, in quo sub Eugenio IV orthodoxam fidem iterum sunt amplexati. Ast postea denuo in haeresim lapsi, tres Catholicos constituerunt, teste P. Azzur in Cap. 35 lib. 3 III Praecepti Dei. Primus Cyliciam Armeniamque inferiorem tenet; alter Armeniam superiorem, tertius Russiam, licet alii, quatuor Catholicos esse affirmaverint, aut Patriarchas Armenorum. Primus prope Persiam, in S. Gregorii monasterio vivit, quod trium Ecclesiarum nomine agnoscitur; et subiectos habet 12 Metropolitas et 200 Episcopos. Secundus in Armenia inferiori in Cadarsav; tertius in Armenia superiori in Aitunar; quartus in Cappadocia et habet subiectos 4 Metropolitas, et 16 Episcopos. Ex hoc evidenter apparet, nullum Armenorum Patriarcham, Antiochiae Patr. esse, nam tres Catholici recenter sunt constituti; ast primus Catholicus non erat in serie Patr. Antiochenorum, sed solum in illa Catholicus Armenorum erat, qui Patr. Antiocheno obedientiam praestabat. Nunc seriem iterum resumamus. Post S. Ephraem.

LIV. Patr. **Domnus** Domninus dictus sedit an. 15 vel. 14. Eius tempore Concilium V celebratum fuit. Obiit an. 561.

LV. Patr. **S. Anastasius** magnus sedit an. 11, vel. 6 iusta alios. Hunc Antiochiae cives, fornicationis crimine accusarunt, qua de causa Iustinus Imp. eum in exilium misit. Unde Hierosolymam aufugit occulte, et in Basilica Resurrectionis an. 572 Sacristae officium assumpsit.

LVI. Patr. **Gregorius** sedit an. 24 et obiit an. 596. Ast eius tempore S. Anastasius in Sacristae officio perseverabat in Basilica Resurrectionis, nemine suspicante, 24 annis. Mortuo Gregorio, Antiochiae cives Patriarchae Hierosolymitano alium Patriarcham petierunt; tunc eis constituit S. Anastasium, quem statim agnitum Antiochiam duxerunt. Sedit 5 an. vel 9 iuxta varios, et an. 601 obiit.

LVII. Patr. fuit alius **Anastasius** sanctitate fulgens, qui sedit an. 10, vel 9, aut 6 juxta alios, et an. 609 ei successit.

LVIII. Patr. **Gregorius** Girigius etiam dictus, haereticus. Sedit 10 an. vel. 6 aut 20, et an. 629 obiit.

LIX. Patr. alius **Anastasius**, qui etiam Athanasius dicebatur. Sedit an. 11, obiit an. 640.

LX. Patr. **Macedonius** sedit 31 an. vel 6, obiit an. 671.

LXI. Patr. **Macarius** haereticus qui unam tantum in Christo voluntatem profitebatur. Sedit 10 an. vel 8. iuxta alios. Contra ipsum, Concilium sextum Constantinopolitanum celebratum fuit, in quo depositus est, et Romam exul missus. Vixit in exilio usque ad an. 685 in quo, excommunicatus mortuus est.

LXII. Patr. **Theophanes** Theophan dictus, sedit 4, vel 5 an., et obiit an. 685. Anastasius historicus narrat, mortuo Theophane, a Rom. Pont. Conone, Antiochiae Patriarcham fuisse electum Constantinum Syracusanae Ecclesiae Diaconum quem Antiocheni, iussu Iustini Imperatoris deposuerunt, indignum eum suspicantes. At hic historicus fallitur, quia iste Diaconus Constantinus, erat S. Ioannes Sirimensis, ut ex illorum temporum historiis constat. Illum autem Constantinum vocavit, quia Constantinopoli studiis vacaverat, ut in eius historia syriace exarata legitur, in quodam libro Ecclesiae B. Virginis Cathedralis Damasci, ut etiam memorat P. Franciscus Quaresenius in terrae sanctae historia quam edidit anno 1634, licet etiam ipse erraverit Diaconum Syracusanum appellans, Sirimensis verbum in Syracusanum vertens.

Hoc posito, ipse est Ioannes Maro, primus Maronitarum Patriarcha. Et hoc evidenter apparet, primo quia eodem anno quo historicus, Constantinum Patriarcham fuisse post Theophanem dicit, eodem, idest anno 685, ut Patr. Stephanus Dovaichi testatur, Ioannes Maro Sirimensis ad Sedem Patriarchalem evectus fuit; secundo quia idem Pontifex, qui post Theophanem, Constantinum Patriarcham elegerat, S. Ioannem Maronem etiam elegit, ut constat ex eius historia; tertio quia omnia Constantino concessa, etiam S. Ioanni Maroni a Pontifice sunt tributa. Nam Pontifex, Constantinum Romam accersivit, Patriarcham constituit, iurisdictionis et confirmationis pallium et alia similia donavit. Ast Ioannes Maro Romam, comitante Petro Presbytero Cardinali S. Marcellini, venit, Patriarcha Antiochenus a Rom. Pont. constituitur, iuris-

dictionis et confirmationis pallium recepit, ut testantur Episcopus Gabriel Bar-Alkelahi in conciliorum sermone, et similiter Pat. Sthephanus Dovaiki, Pat. Quaresenius, Presbyter Mirheg Bar-Nemrun, et alii plures; quarto, quia quidquid Constantino postquam Antiochiam petiit, evenisse dicitur, S. Ioanni Maroni evenit; nam historici narrant, Antiochiae cives contra Constantinum insurrexisse, eum accusantes apud Imp. Iustinianum virum eruditum, intelligentem, et in fide constantem, qui haereticos Antiochiae et in Oriente commorantes persequebatur. Tunc Iustinianus contra ipsum milites misit, et ab Antiochena Sede depositum in exilium pepulit. Ideo coactus, ad montem Libanum aufugit, ut manifeste colligitur ex Orientalibus historiis. Quinto, quia impossibile videtur Rom. Pont. Patr. Antiochenum elegisse clericum alterius nationis, scilicet Syracusarum. Nam licet Pontifex hoc facere potuisset, tamen nunquam Orientalibus Sedibus, Patriarchas alterius nationis dedisse, nisi vel ab ipsis peterentur civibus, vel iam apud ipsos fuissent commorati, legitur. Sexto, si Ioannes Maro non esset iste Constantinus, quare Sahid-Bar-Batrik, in Patr. Antiochiae serie eum relinquit, ponens post mortem Theophanis, Thomam Melchitam? Cur hoc egit? Nisi quia Maronitae cum Melchitis circa fidem et eius professionem, quaestiones habebant, et ideo invidia et livore contra ipsos eum omisit. Neque potest aliquis dicere Sahid-Bar-Batrik Constantini nomen reliquisse, quia malus vir fuit, nam ille, Paulum Samosatenum, Severum et Macarium haereticos adnumeravit, idcirco ex proposito I. Maronem reliquit. Qua ratione Stephanum Melchitam Patr. Antiochenum nominat, qui uno tantum die vixit et postea mortuus est? Insuper Anastasii verba, quibus narrat Patr. Constantinum callidum virum fuisse, ab orientalibus haereticis accepit, qui eum callidum apellarunt, ut Catholicum, et etiam impium, quia Sanctae Ecclesiae praecepta servabat. Ex quibus omnibus evidenter apparet Graecos, idest Melchitas, numquam veros Antiochiae Patriarchas extitisse, sed tantum Maronitas post Theophanis mortem, nam huic successit.

LXIII. Patr. **S. Ioannes Maro,** et post ipsum eius ex sorore nepos Curius, et sic usque ad nostram aetatem; isti autem Patriarchae a Rom. Pont. confirmati sunt, et semper in Sede

Antiochena confirmantur. Ast Melchitas numquam confirmavit, neque Theophani successerunt (tempore Assemani, Melchitae Catholici vix incipiebant).

Ast cum in haeresim lapsi sunt, et a Iustiniano absque naso, Melchitae sunt appellati, qui unam tantum naturam admittebant, cum Catholicos idest Maronitas, Patriarcham Catholicum post Theophanem elegisse viderent, ipsi haereticum Patriarcham elegerunt, qui non pertinet ad seriem Patr. Antiochenorum, neque a Rom. Pont fuit confirmatus ut notatur in Ecclesiasticis historiis.

Sic, illos enumerat Sahid-Bar-Batrik melchita post Theophanis mortem Patr. fuit Thomas qui sedit 20 an., et post Georgius 24 an. deinde Stephanus 37 an. post ipsum Barflacta, idest Theophilactus 18 an. sedit. Deinde successit Theodorus 23 an., cuius tempore Concilium septimum Nicaenum celebratum fuit; postea fuit Patr. Theodoritus, qui 17 an. sedit, post Ioabi, deinde Nicolaus qui 23 an. sedit. Huic successit Stephanus qui uno die sedit, in quo Missam celebravit, deinde Iedus 21 an. sedit, postea Simeon Bar-Zirnak, Elias 28 an. sedit. Huc usque historia Sahid-Bar-Batrik protrahitur. Post Eliam Macarius II. fuit electus, deinde Marius Armenus, qui an. 1012 mortuus est. Huic successit Eleutherius anno 1028, postea Theodosius an. 1035, qui de serie erat Patriarcharum Russiae. An. 1179 Patr. fuit Theodorus Balsamus, qui cum esset scriptor, plures libros contra Rom. Pontificis Primatum, et constitutiones Rom. Ecclesiae, composuit. Usque ad nostra tempora Melchitae Patriarcham haereticum constituerunt. Etiam Card. Baronius narrat anno 742 Patriarcham Antiochenum fuisse Stephanum 2 annis, postea Theophilactum Edelsenum 6 an. Deinde historici latini de Patriarchis Antiochenis mentionem non habent, usque ad Bernardum Latinum, a quo Latini incipiunt Patriarcham eligere, qui Antiochiae morabatur, usque ad Eliam. Post hunc in Occidente translati a Rom. Pontifice Latini eligebantur Patriarchae Antiochiae, quod etiam nunc servatur. At isti non erant veri Patriarchae Antiochiae nam coeperunt anno 1099, nec in successione fuerunt Patr. Antiochenorum. Licet autem dum Antiochiae erant, a Rom. Pontifice patriarchalem habuerint iurisdictionem, nunc tamen ea carent. Unde eorum successio incipit a Bernardo, qui ex La-

tinis primus Patriarcha fuit, dum Antiochiae imperabant, tempore Patr. Iosephi Algirgigi Maronitae, anno 1099.

Sedit autem Bernardus 36 an. et anno 1135 mortuus est; cui successit Rodulphus non canonice electus, qui cum se supra Romanam sedem extollere voluisset, in Synodo Antiochena, postquam sedisset 4 an., depositus fuit. Huic successit Emericus qui sedit 30 an., qui mortuus est an. 1169, cui alius Rodulphus successit anno 1192, postquam sedisset 23 an. Postea Rinarius an. 20. sedit, deinde Elias, cuius tempore Saraceni Antiochiam invaserunt, et Latini ad propriam nationem redire coacti sunt. Igitur 150 tantum annis Antiochenam Sedem Latini habuerunt. Plures Antiochia discesserunt; qui autem fugere non potuerunt, apud Patr. Simeonem Maronitam sese receperunt, a quo benigne excepti sunt. Cum autem hoc, Pont. Alexandro III. fuisset relatum, Pontifex benedictionis bullam Simeoni misit, qua eum Patr. Antiochiae eiusque successores confirmat, ut iam egerat Papa Sergius cum S. Ioanne Marone Patr. Antiochiae.

Ex iis omnibus, quae de hac successione Patriarcharum diximus, manifeste consequitur Patriarcham Maronitarum tantum, verum Antiochiae Patriarcham esse, quia ad veram eorum seriem pertinet, quae descendit ab antiquis Patriarchis.

Hoc pariter evidenter ex sequentibus potest clarius cognosci. Primo enim Maronitarum Patriarcha a Sum. Pontifice confirmatur, quem ideo absolute Antiochiae Patriarcham appellant, ut constat ex litteris Hadriani VI ad Patr. Simeonem Hadethensem, anno 1522 datis quae ita inscribuntur; » Reverendo Fratri Petro Patriarchae sedenti super Antiochenam Sedem » ex epistola Gregorii XV ad Patr. Ioannem Heldnensem anno 1622, in qua dicit: » Reverendo Fratri nostro Petro Antiochiae Patriarchae »; hunc morem Urbanus VII in epist. ad supradictum Ioannem, confirmat, anno 1626 scripta. Etsi eum aliquando Maronitarum tantum, aliquando Antiochiae Patriarcham pro Maronitis appellent, hoc faciunt, quia Maronitae unam tantum sedem retinebant, et ipsi tantum ex Orientalibus Catholicis, Rom. Pontifici immediate sunt subiecti, et ab ipso iurisdictionis pallium obtinent.

Insuper quatuor tantum veri Patriarchae sunt praepositi a Pontifice, quatuor Patriarchalibus Romanis Basilicis. Ast

Maronitarum Patriarcha uni ex istis praeest, teste Dominico Magri, qui ad verbum, *Patriarchia,* haec habet: Romae quatuor sunt Patriarchales Basilicae, quatuor assignatae Patriarchis, dum Romae universale Concilium habetur; idest Basilica S. Ioannis Lateranensis, Rom. Pontifici, S. Petri Ap. Constantinopolitano Patriarchae, Basilica S. Pauli Ap. Alexandrino, Basilica S. Mariae Maioris Patr. Antiocheno, qui solus est Catholicus, et in praesenti est caput et Rector Nationis Maronitarum, Rom. Ecclesiae omnino subiectus; Basilica S. Laurentii Patr. Hierosolymitano.

Insuper omnes Maronitarum Patriarchae suas litteras inscribere solent, proprium nomen tali modo signantes (Nomen) *Petrus Patr. Antiochiae.* Omnes autem illorum epistolae, a R. Pont., Cardinalibus ab universo orbe, nullo contradicente, leguntur.

Leo X Pontifex Patr. Simeoni Hadethensi, omnium fidelium in Oriente commorantium, curam commisit, et hoc quia, praeter Maronitarum Patr., nullum existimabat esse Antiochiae Patriarcham; alioquin hanc curam illi non dedisset; Simeoni illos ideo commendavit quia Maronitarum Patr. putabat habere veram Antiochenae Sedis iurisdictionem, propter veram ab antiquis successionem.

Ne autem nostra protrahatur thesis, consule quae scripsit Patr. Stephanus Dovaihi in art. 8 eius libri, qui dicitur *Primum lumen.* Neque aliquis subiungat, Latinos etiam Patriarchas, Antiochenam Sedem retinuisse, nam Maronitarum Patr. eodem tempore Antiochenos Patr. se vocabant, quod non fecisset, si Antiochiae Patr. tantum Latini fuissent. Nam, dum Latini Antiochenam Sedem tenebant, Rom. Pont. Patriarchis Maronitis scribentes, eos absolute, Antiochiae Patriarchas appellant, ut apparet ex epistola Calixti II ad Patr. Iosephum Algiorgigi, teste Episcopo Gabriele Bar-Alchelahi *in libro 2 de Professione et fide Maronitarum.* Hinc Latini Constantinopolitanae Sedis Patriarchae fuerunt, quam tamen Graecorum Patriarchae etiam retinebant, ut ex illorum catalogo apparet, et tamen, sicut nemo asserit Patr. Graecorum non esse Constantinopolitanos Patriarchas; ita Patr. Latini Antiochiae, non pro Maronitis vel Graecis, sed pro Latinis tantum sunt constituti.

Considera etiam quod licet concedatur Maronitarum Patr. non fuisse Antiochenum Patr., tamen iurisdictionem in omnibus habebat ut veteres Patriarchae, iuxta Gregorii XIII Constitutionem sicut etiam narrat Pignatelli num. 73, quadragesimae primae petitionis sexti libri, dicens, Rom. Pontificem, Patriarchae Maronitarum quibusdam petitionibus, ad auctoritatem spectantibus, hoc responsum dedisse. « Concedantur Patriarchae illa iura, quae veteribus Patriarchis pertinebant, contenta in art. De iuribus veteribus, cum doctorum interpretationibus. » Ast in supra dicto articulo dicitur, Patr. Antiochiae esse post Alexandrinum, et hunc post Patr. Constantinopolitanum, et hunc post Rom. Pontificem.

Ad Patr. Antiochiae seriem redeamus. Theophane defuncto, Apostolicae Antiochenae Sedis iurisdictionem habuit, cleri consensu, tempore Papae Cononis, anno 685. S. Ioannes Sirimensis, postea Maro dictus, filius Agathonis, filii sororis Caroli Magni Imp. Hic ex Gallia ad regendam Syriam tempore Graecorum, venerat, testante eius historia syriace scripta, quae asservatur Damasci, in B. Virginis Cathedrali Ecclesia, et sicut etiam eius historia narrat, quam, anno 1495 Episcopus Gabriel Barclaius misit Sacerdoti Georgio Bar-Bisciara, quam, an. 1634, P. Franciscus Quaresenius latine edidit. S. Ioannis Sirimensis matris nomen, Nohemia fuit; ideoque eum Abed-Iesciu in poemate ante annum 1555 de insignibus scriptoribus (quod Poema Abrahamus Hecchelensis anno 1653 translatum edidit) nominat. Ioannem filium Galli, Sirimensis nomine adiuncto, quia Sirimis magnum castellum erat in monte Suaidia prope Antiochiam, nunc absque incolis. Hoc Sirimis castellum, aut Agathonis domicilium fuit, aut defensionis locus, ideoque eius filius, Sirimensis fuit cognominatus. Ioannes adhuc puer litterarum studiis, in Patriae suae scholis operam dedit, deinde Antiochiae divinas humanasque literas, et in S. Maronis coenobio hausit, usque dum Constantinopolim Imperii sedem, ut eius historia narrat, profectus est. Graecam linguam et doctrinam profunde didicit, Ss. Patrum tractatus et in divinas literas commentaria evolvit. Cum accepisset Parentes ad Deum evolasse, in Patriam revocatus, rei domesticae consobrinum Abrahamum praefecit, qui omnem hanc curam recepit, et deinde in S. Maronis Coenobium, iuxta Orontis ri-

pas situm, ingressus, monachi habitu induitur. In sapientia et gratia ibi apud Deum et homines ita profecit ut Monasterii cura ipsi demandata fuerit. Neque litterarum studia neglexit quin plures libros composuit, quorum seriem ipse Abed Iesciu in supradicto poemate retulit, istos numerans..........

1. De iuventutis directione eiusque educatione.

2. Sermones sub dialogi forma.

3. De septem oculis Domini.

4. De vinculis.

5. Sacrosanctae Missae sacrificii, et rubricarum explanatio, cuius in suo tractatu Abraham Hecchellensis meminit.

6. Sacrae Bibliae explanatio, de qua Bar-Hebraeus loquitur in libro de mysteriorum fide.

7. Professio fidei contra Nestorium duas in Deo personas admittentem, et contra Petri Fullonis blasphemias in quatuor sanctificationibus.

8. Epistolae de Iesu Christi humana et divina natura, et duabus eius voluntatibus. Haec scripta non solum in Syria, sed et in Persia et Graecia agnita fuerunt, et plures ad veram fidem revocarunt.

Sibi ipsi Maronis nomen, a monasterio in quo Monachus erat, acceptum, imposuit, ut Bar-Hebraeus in libro *de miraculorum fide* eum appellat. Ioannes Maro dictus, seu quod S. Maronis monasterio tribuitur, idcirco plurimi eum absolute, Maronem vocabant.

Cum autem S. Maronis monasterium prope Antiochiam esset, frequens fervebat disputatio inter Ioannem Maronem, et Georgii Patriarchae Antiochiae et Macarii eius successoris discipulos, circa duas operationes et voluntates D. N. Iesu Christi; quoniam ipsi unam in Christo voluntatem praedicabant, Patriarcharum Const. auctoritate fulti, Ioannes e contra, duas operationes et duas voluntates in Christo docebat iuxta Romanae Ecclesiae fidem.

Interim Cardinalis a Pontifice missus, Constantinopolim venit, et Concilium indixit ad fidem confirmandam. Tunc omnes Ecclesiae duas in Christo naturas et voluntates esse admittendas, professae sunt.

Macarius Antiochenus Patriarcha tunc Constantinopoli manebat, et numquam Antiochiae fuit. Qua de causa Princeps

Eugenius cum omnibus Latinis qui in civitate erant simul convenientes, Episcopum, Romanae Ecclesiae fidem profitentem eligere statuerunt, ad propagandam duarum voluntatum doctrinam contra illam Graecorum (qui postea Melchitae sunt appellati). Omnes una voce Ioannem Maronem Episcopum dixerunt, qui Cardinali propositus, Episcopus Botrensis et montis Libani est consecratus, ut Libaniotas in fide Romanae Ecclesiae confirmaret, fatentibus ipsis Iacobitis in Catechesi. Episcopali dignitate auctus illico in Phoeniciae oras profectus est praedicationibus, missionibus, et visitationibus, nec non et admonitionibus optimae indoli et precibus coniunctis, illos populos obedientes reddidit, et in vera fide roboravit.

In excolenda vinea Domini se totum impendit, eo successu, ut ad veram fidem plures Monophysitas atque Monothelitas tum longe dissitos, tum finitimos, tum convenas servos, tum in indigenas perduxerit. Illa natio non tantum animo, sed etiam viribus fortis, brevi tempore, non solum omnes montis Libani provincias subiecit, sed etiam omnem regionem, quae a Hierosolyma usque ad Armeniae provincias pertingit, ut Cedrenus in historia Constantini Pogonati narrat, et Zonaras et Paulus Samosatenus et alii historici graeci. Ex quibus narrationibus agnoscitur quomodo Ioannes Maro ad Montem Libanum pervenerit, quomodo vicini et longinqui, servi et liberi, undique ad eum convenerint, ut armentum ad Pastoris vocem, quod omnem Syriam occupavit. Etenim duodecim millia militum, sub Ducis imperio pugnabant, Persiae et Arabiae regiones, absque ullo timore invadentes. Qua de causa, omnes timor accepit, et ipse Saracenorum Princeps Mahanajat, cum aliis ducibus, Imperatorem Graecorum Divina Providentia adiutum, cognovit, et submissus pacem ab eo quaesivit, et annuum tributum, decem millia scutatorum aureorum, nec non servos et equos promisit. Constantinus precibus annuit, et maxima pax tunc in Oriente et Occidente confirmata fuit. Tranquillitate et pace tali modo assequuta, Imperator, Concilium VI. Oecumenicum, Constantinopolitanum III. indixit contra Monothelitas, ut civili, Religiosa etiam pax adiungeretur. Hoc Concilium, quod anno 680 die 9 Novembris incepit, et sequenti anno fuit absolutum, sub Agathone Papa celebratum fuit.

Macarius, qui definitionibus et constitutionibus huius Synodi obedire renuit, excommunicatus fuit, et in eius locum Theophanes vir incorruptae, et immobilis fidei, electus fuit.

Anno 685, populus, ingens cum ingravesceret ciborum penuria, et cholera etiam saeviret, in maximis supremisque angustiis versabatur. His duobus malis etiam milites, bello occupati, afficiebantur; nostri Sancti zelus ab his miseriis incensus, eum magis clarificavit. Nam ipse, urbes et Castella circumiens, orans et dexteram super aegros imponens, sanabat eos. Ex eo tempore, usque ad nostram aetatem, Sacerdotes Missam celebrant ab ipso compositam pro his qui hoc morbo laborabant, et pro his, quibus suis precibus a Deo sanitatem obtinuerat.

Interea Constantinus moritur, cui Iustinianus II eius filius sexdecim annos natus successit, cognominatus absque naso, quia illo mutilatus fuerat. Summa Imperii potitus, debilitate iuvenili, Regni conditiones potius quam restituere, deturbavit. Exercitum namque misit contra Ioannem Libani Principem, in populum e contra proferens, contra Arabes, illam expeditionem fuisse peractam. Malignitatem etiam, et perfidiam adhibuit; nam exercitus Ducem, donis splendidis tributis, et datis epistolis amplissimis pro Maronitarum Principe, secreto instruxit, ut cum Principe Kab Elia solus colloqueretur, ibique eum interficeret. Exhortationibus et consiliis factum respondit; nam infelix ille Princeps proditus in mensa ipsa cui considebant, interfectus cecidit. Tanta crudelitate Maronitae exacerbati, unanimiter insurrexerunt et statim alium Principem elegerunt, Simeonem, interempti consobrinum; idcirco Libaniotae appellati sunt Marediti idest rebelles, quia ab Imperatore defecerunt. Ex hac rebellione, non Maronitae sed Graecorum Imperator, damnum accepit ut historicus Cedrenus notat; nam Maronitarum exercitus Arabum terror erat, a quibus Imperium defendebant ut testatur historicus Pictavius. Insipienter ad hoc bellum indicendum, Imperatorem adduxerunt quidam Episcopi Constantinopoli commorantes, sectatores doctrinae iam a Concilio VI. proscriptae, ad quam profitendam, prius ipsum pertraxerunt, ex quo factum est, ut Patris sui sententiam contra illos, deleret, contradicendo decisionibus Concilii.

Callidi illi Episcopi tanto favore adiuti, quasdam falsas regulas composuerunt ad haeretica dogmata confirmanda. Interim

Constantinopolim pervenerunt Delegati Pontificis Cononis, quos Imperator ad illas regulas approbandas, adegit. Eodem anno, sancte ex hac vita migrabat Antiochiae, Patriarcha Theophanes, unde Imperator, Antiocheno Clero epistolas misit, ad novum Pastorem eligendum. Simul convenientes, Patriarcham constituerunt Episcopum Ioannem Maronem, qui primus post Theophanem, Patriarchalem Sedem ascendit. Haec omnia sub Cononis pontificatu evenerunt, quo defuncto, Romanam Sedem, toto orbe plaudente, Sergius Antiochenus obtinuit.

Primus huius Pontificis actus fuit, Legatum in Orientem mittere, ut illas Ecclesias ad unionem et obedientiam revocaret. Maro statim Tripolim venit, ubi Legatus manebat, et propria voluntate, una cum illo, Romam profectus est, ut cognoscitur ex testimonio Episcopi Gabrielis, Alchelchi filii, in sermone de Conciliis.

Summus Pontifex Sergius magna laetitia concivem suum excepit, summo honore est prosequutus, eiusque in gratiam Consistorium coegit. Coram Pontifice et venerabili consessu, conceptis verbis Patriarcharum propriis, obedientiam et Romanae Ecclesiae subiectionem, iuravit. Sedis Antiochenae Patriarcha confirmatus fuit, et Pallium, ad supremam iurisdictionem significandam in Ecclesias, recepit, necnon mitram et annulum pastoralem, cum omnibus iuribus ad Ecclesiam Antiochenam regendam, eiusque gregem gubernandum, quae habuerant antecessores, cum debito ea successoribus suis transmittendi. Deinde a Pontifice discedendi facultate habita Antiochiam rediit. Cum illuc pervenisset, statim ad Macarii haeresim repellendam totus incubuit, omnes eius sectatores expulit, in Iesu Christo duas naturas cum una voluntate confitentes. Iacobitas simul detexit, unam tantam naturam praedicantes. Populi, illico eius doctrinae obsequentes, humiliter duas naturas et voluntates profitebantur, ut apparet ex confessione Maronitarum, et Iacobitarum usque ad nostram aetatem. Cum haec Constantinopoli divulgarentur, moleste Monothelitae Episcopi tulerunt, et Imperatori suaserunt ut epistolas mitteret Romam Papae Sergio, et Ioanni Maroni Antiochiae Patr. adfirmantes regulas ab ipsis compositas. Hac in epistola pertinacibus exilium et mors minabatur.

His epistolis responsum eorum pravis desideriis conforme expectare non poterant. Strenui defensores Fidei, Pontifex scilicet et Antiochenus Patr. exilium et mortem libentius se passuros rescripserunt, quam denegare duas naturas et voluntates in Christo. Furore captus Imperator, duobus ducibus Zachariae et Leoni iussit ad illos pergere, et vinculis alligatos Costantinopolim adducere. Hic tamen lapidem angularem invenit. Italia, et praecipue Romani feri et minantes, hac contumelia moti, ad arma concurrentes, validum exercitum coadunarunt, et unanimiter contra Caesaris milites ita dimicarunt ut faciliter eorum Ducem Zachariam interficere possent, si hic apud Sanctum Pontificem non aufugisset, ut se in Pontificis cubiculo occultaret. Perpetua sit illis strenuis Romanis gloria, qui semper Iesu Christi Pontificis partibus non vero Caesaris favent.

Sergius, Ducem Zachariam periculo subtractum, statim Imperatori misit.

Maro fugam arripere melius duxit, et in Coenobium ubi educatus fuerat, sese recepit. Litteris suis praedicationem duarum naturarum et voluntatum renovans, eas cum suis monachis ad Libanum misit, ut in illarum initio legitur.

Imperator, eius fuga cognita, Leoni duci iussit in Orientem ad illum convolare, et in vinculis alligare. At iste reposuit voluntati ipsius obtemperare non posse, quia Patriarcham diligebant, et venerabantur Libaniotae, et se meminisse, ait, pluries eum ab Arabum furore defendisse, et triumphum obtinuisse.

Iratus hoc responso eum in carcerem inclusit. Postea Muricum et Merachian in Syriam a Costantinopoli misit cum exercitu, contra Arabes expeditionem simulans.

Antequam Constantinopoli discederet exercitus, Patriarcha id iam resciverat et statim nepoti Abrahamo iussit ad defensionem, suos contrahere. Incredibili celeritate, duodecim millia hominum collegit, et in eius auxilium accurrens eum in Sanar-Gabait duxit, anno nono Patriarchatus sui, et ultimo verni temporis. Duces autem Muricus et Merachian Graecos in Syriam duxerunt; vix ac ad coenobium S. Maronis pervenerunt, quingentos monachos interfecerunt, ipsumque Monasterium everterunt. Exinde Kauserin et Alvarem abierunt, ubi, nemine excepto, omnes illos necarunt, qui duas in Christo naturas et voluntates confitebantur, depraedantes vel

disperdentes omnem substantiam eorum. Istae depraedationes perdurarunt usque dum Duces Tripolim ingressi sunt. Montes ascensi cum exercitu, incolas Alcurah terrore affecerunt, et subiectos, vi et minis Monothelitarum doctrinam amplecti, coegerunt. Deinde Alha Alhafi transierunt, quae regio est inter Amiun et Novum, ad radices montis. Illuc advenientibus, quidam terrae nobiles doctique divites obviam fuerunt, quos summo honore exceperunt. Isti ante omnia, pacem, deinde colloquium cum Principibus et Ducibus relate ad obedientiam et subiectionem, postularunt. Admittitur petitio, et ipsi obedientiam Deo et Imperatori profitentes, responsum dederunt. Exercitus ad montis Libani pedes, castra posuerat, quare populus ignorabat quid esset agendum, ut mulierum et natorum saluti prospiceret. His in angustiis, corde ad Deum conversi, intercessione B. Virginis ut eos benigne et placide aspiceret, exorarunt; neque eorum preces, Deus sprevit. Nam Leonis epistolae una cum Legatis Patr. Ioanni Maroni et Libani Principi missae, pervenerunt, quibus significabat quid Iustiniano acciderat, nempe eum apprehensum, et naso mutilatum e trono fuisse deiectum, et eius loco Leonem ipsum Imperatorem fuisse electum; exinde potestas illis facta ad exercitum profligandum, eos exhortans, et suadens, ipsos Duces ab eo rebelles non esse pertimescendos. Laetitiae voces statim, et laudis hymnus, Deo in omnium ore personuit. Postea fortes illi Libaniotae, arreptis armis, Graecorum exercitum aggressi sunt tamquam torrens inundans, maximam caedem fecerunt, eorum Ducibus etiam interemptis; incolumes tantum illi evaserunt, qui ignominiosam fugam arripuerunt, ut habetur in libro fidei Iacobitarum. Ex hoc bello, in Alcurat et Giubet–Besciari habito, inter Maronitas et Melchitas divisio exorta est. Quoniam Imperatoris asseclae Melchitae sunt appellati (Regalistae) Maronitae autem sunt dicti qui Patriarchae I Maronis partes tenebant.

In hac pugna Muricus interfectus fuit, quem Melchitae in pago Emiun sepelierunt, ubi eius nomini dicatam Ecclesiam aedificarunt, et quovis anno die 22 Iulii, eius festum, multis laetitiae signis, celebrant. Merachian autem in eodem bello vulneratus, a militibus in pagum Scevaiti in provincia Ehecar, ubi spiritum emisit, allatus est, et ibi etiam in Ecclesia ipsi erecta, eius festum agunt. Ast Ioannes Maro, cum ex perse-

cutione quies et pax fuit, montes, et Libani vicinia perlustrans in fide Sanctae Ecclesiae, suos confirmabat, haereticos autem ad veritatis semitam revocare, conabatur. Coenobia et Ecclesias erigebat, et in illis Sacerdotes et Clericos ordinabat; Episcopos et Metropolitas consecrabat, eis Dioeceses dividens, et ad vitam necessaria disponens.

Marchion et Mericon Graecorum exercitum usque ad S. Maronis coenobium, cum duxissent, illud everterunt, et Monachis interfectis, possessiones et substantias distribuerunt, ut eius memoriam omnino delerent. Tunc Ioannes Maro aliud Coenobium aedificavit prope vicum Chefar-Hai in provincia Batrun. Fertur, huc ex Apameae monasterio, translatum fuisse venerabile S. Maronis caput, et etiam in eius honorem die 5 Ianuarii solemne festum fuisse peractum, in quo in ejus honorem dicata fuit Ecclesia. Ut autem celebrior huius Sancti memoria evaderet, et perpetua haberetur eius in Syria mansionis recordatio, Maronitarum nomen, Libani incolis impositum fuit ab ipso Marone deductum. Anno 690 Graeci ab Imperatore Leone desciscentes, naso mutilatum, in Dalmatiam exulem miserunt, et eius loco Tiberium assumpserunt. Hoc evenit, quia eodem anno Arabes in Africam transierunt; tunc Leo Imp. navalem exercitum disponere iussit, ut eis bellum inferret. Hac pugna confecta, Graeci cum profligati essent, Constantinopolim redeuntes, gravem ab Imperatore reprehensionem, timuerunt. Hac de causa eum exulare coegerunt, et Tiberium Imperatorem acclamarunt, qui, stipendiis auctis, militum animos erexit. Anno tertio Imperii ad Damasci direptionem, et contra Arabes eos misit. Interim Simeoni Principi Libani, ut Maronitarum exercitum eis coniungeret, literas dedit. Tunc, undique milites convenientes, bina centena millia Arabum occiderunt.

Hac victoria laetus Imperator Tiberius, Principi Simeoni, dona et honores tribuit; Patriarchae autem Ioanni in amicitiae signum, regalem florem una cum nobili epistola, misit, in qua eius Beatitudinis, et suorum fortitudinem laudat, eum deprecans, ut illi concedat tres viros fidissimos, et instructos, ad velarium proprii capitis deferendum, sicut in eius historia notatur. Tunc Patriarcha eius petitioni annuit, et ex

3

istis viris plures, pro Maronitis, Principes exierunt. Maximo, isti zelo et potestate erant praediti; Patriam et maris littora defenderunt, terra promissa usque ad sanctam civitatem sunt potiti et ad eam invisendam, homines secum ducebant. Propter hoc, invidiam Graecorum subierunt, qui Patriarchae Hierosolymitano per epistolam renuntiarunt, absque eius assensu Dioecesim cum aliis, istos introisse. Ast Patriarcha, has contra Maronitas accusationes non admisit, quia satis ei nota erat Patriarchae Sanctitas. Inter haec, Iustinianus absque naso, exilii tempore, per epistolas Bulgariae Regis auxilium quaerere non cessavit, usque dum Constantinopolim repetens anno. 703, Leone et Tiberio interfectis, denuo Imperio Graeco potitus est. Exinde Graecorum invidia augebatur, ut ex historia colligitur, et Maronem materiali vi persequuti sunt. Ast Deus ab istis barbaris, totius vitae tempore, eum incolumem servavit. Nam viri invidi, adversus Patriarcham, et Maronitarum gentem, Imperatori accusationes obtulerunt: quarum prima fuit eos Graecorum Principum fuisse interfectores. Sed Imperator Constantinopolim rediens, resipuit, et Ecclesiae Romanae fidem iterum suscepit. Et quoniam Constant. Patriarcha pacem inter Rom. Pontificem et Imperatorem dirumpere volebat, effossis oculis, et vinctum Romam misit. Cum tunc temporis Romanus Pontifex Syrus esset, Patriarcha Maro magis fidens, suipsius et Antiochiae statum, nec non et habitationem in monte Libano, sub Simeonis et Maronitarum protectione, in epistola exposuit. Pontifex, adhuc in Libano consistere, in responsione eum adhortavit, et frequentes ab eo epistolas accipere, gratum sibi esse demonstravit. Dum Patr. in Libano erat, rituales libros, et Sacramentorum administrationem eo modo disposuit, qui apud Maronitas usque ad nostra tempora viget. Ideo autem hoc egit, ut ab aliis distinguerentur, et magis Romanae Ecclesiae adhaererent. Postquam Deo, zelo et fide, servisset, et populum suum, ut bonus Pastor, viginti et duobus annis, gubernasset, ex hac misera et mortali vita, ad aeternam et gloriosam migravit, ab Illo praemium accepturus a quo spiritalis vineae cultores uberem mercedem laboris recipiunt; eius mors fuit die 9 Februarii an. 707. in S. Maronis coenobio in pago Chefar-hai. S. Patriarchae festum Maronitae die transitus eius celebrant. Post eius mortem Episcopi, Presby-

teri et Monachi, cum ingenti Populi multitudine, undique convenerunt, ut venerabile corpus sepulchro conderent, et ab ipso benedictionem acciperent. Collacrymantes, corpus cum canticis et psalmis, thure et luminaribus, reverenter sepelierunt in eodem coenobio, ut aperte colligitur ex eius historia, in qua habetur, sancte ipsum decessisse et in Chefar-hai sepultum fuisse. Nona ab eius morte die, iterum Episcopi et Abates cum populo, ad iusta ei persolvenda convenerunt et antequam sacrificium offerrent, eius Nepotem successorem elegerunt,

LXIV. **Curium** Patr. Antiochiae. Constantino Syro, Pontifici Romano, Patriarchae mortem, et Curii electionem signatis epistolis annuntiarunt. Tunc Pontifex pallium, auctoritatis et iurisdictionis signum, ei misit quod his verbis in S. Ioannis Maronis historia narratur. « Post ipsum Patr. Antiochiae fuit Curius quem Pontifex Romanus confirmavit, et pallio donavit. » Ex eo tempore Maronitarum Patriarchae, iuxta Rom. Ecclesiae morem. anulo, mitra, et pallio utuntur. Curio defuncto, Antiochiae Patriarcha eligitur.

LXV. **Gabriel**, qui in Coenobio Chefar-hai manebat, post ipsum.

LXVI. **Ioannes II Maro**, qui in S. Maronis coenobio, iuxta Orontis flumen, aliquanto mansit in monasterio B. Virginis in pago Januchi; morti proximus, Sacerdotes et Superiores, ad se vocavit, qui eius consilio, Successorem elegerunt,

LXVII. **Ioannem** ex pago Demlas. Deinde Patriarcharum Antiochiae successio hoc ordine fuit.

LXVIII. Patr. **Gregorius**.
LXIX. Patr. **Stephanus**.
LXX. Patr. **Marous**.
LXXI. Patr. **Eusebius**.
LXXII. Patr. **Ioannes**.
LXXIII. Patr. **Iosue**, seu **Iosa**.
LXXIV. Patr. **David**.
LXXV. Patr. **Gregorius**.
LXXVI. Patr. **Theophilactus**, seu **Amantiles**.
LXXVII. Patr. **Iosue** seu **Iosa**.
LXXVIII. Patr. **Domitus**.

LXXIX. Patr. **Isaacus.**

LXXX. Patr. **Ioannes.**

LXXXI. Patr. **Simeon.**

LXXXII. Patr. **Ioseph.** Algirgesi. Hoc tempore, Saraceni iterum Antiochia expulsi discesserunt anno Christi 1100, et Latini Damascum occuparunt, ubi Regem et Patriarcham constituerunt. Patr. Ioseph Algirgesi in pago Januchi morabatur, et tunc Episcopus Thoma Kefartabensis apparuit qui duas in Christo naturas et unam voluntatem praedicabat. Patr. Ioseph eum damnavit, et omnes discipulos eius excommunicavit. Huic successit.

LXXXIII. Patr. **Petrus** anno 1121, qui in Monasterio B. Virginis Maifuk in Botri provincia, manebat. Deinde electus fuit

LXXXIV. Patr. **Gregorius** ex pago Halat, anno 1130 sedit 11 an. postea electus fuit

LXXXV. Patr. **Iacobus** ex Ramat, pago in provincia Botri. In pace mortuus est an. 1141. Post hunc fuit electus

LXXXVI. Patr. **Ioannes** Lehfedensis, qui in S. Eliae monasterio, in pago Lehfed Bibliae regionis, domicilium habuit, deinde transivit ad Monasterium Saidat Habil (seu B. Virginis vici Habil) eiusdem regionis; aliud ibi coenobium erexit, in quo etiam habitavit. Hoc in loco Annaphoram (Missam) ipse composuit, et celebravit. Huic successit

LXXXVII. Patr. **Petrus,** qui in eodem monasterio Saida-Habil morabatur, cui successit alius

LXXXVIII. Patr. **Petrus,** deinde alius

LXXXIX. Patr. **Petrus.**

XC. Patr. **S. Hieremias** Alhamciti. Huius Patriarchae electio in Monasterio B. Virginis Januchi anno 1209, evenit. Ipse Rom. Pontifici confirmationem petiit; sed antequam pallium reciperet, ad Lateranense Concilium anno 1213 venit, ibique usque ad annum 1215 permansit. De hoc Patriarcha fertur, quod dum Romae esset, S. Petri Apostolorum Principis confessionem ingressus est, ut ibi sacrum faceret; Sacrificii tempore Sacrosancta Hostia supra eius caput suspensa, tempore Elevationis stetit, ad eius fidem, et sanctitatem declarandam. Praesens aderat Papa Innocentius III, cum Cardinalibus. Hoc autem refert Episcopus Gabriel Bar-Achelachi in Carmine de Conciliis ita, « Romae, dum Missam celebraret supra eius caput suspensa Hostia stetit tempore Elevationis, dum Pontifex, qui aderat, in SSmum Sacra-

mentum intentos oculos haberet.» Hoc mirabile factum etiam testatum manet in veteri imagine, quae in Basilica S. Petri picta iamdiu fuit, et usque ad nostra tempora aspicitur. Nam vetustate pene collapsa ab Innocentio X fuit reparata anno 1655 iuxta veterem descriptionem linearum. Postea anno 1699 Papa Innocentius XII. iterum hanc imaginem renovavit. Postquam Hieremias Concilio interfuerat, Papa Innocentius III epistolam ei dedit, qua illi, omnia Antecessorum in Antiochena Sede, iura spiritualia et temporalia, tribuebat. Deinde Roma discessit die 3 Ianuarii an. 1215, et Tripolim advenienti obviam fuit ingens multitudo populi. Tunc Guillelmus Cardinalis Delegatus Apostolicus, iurisdictionis Pallio eum insignivit. Hieremias, post reditum, 15 an. sedit, quibus, zelo et fervore Religionem excolebat, et gregem suum ut bonus Pastor dirigebat omni studio, ita ut post mortem, Clerici, eius nomen, in Episcoporum commemoratione, Sancti titulo, in Missae Sacrificio, adiungebant. Episcopalem Sedem 30 an. tenuit, et an. 1239, in monasterio B. Virginis Maifuk ad Deum migravit; vel ut alii volunt, mortuus est an. 1230, cuius locum obtinuit.

XCI. Patr. **Daniel Biblesis** ex vico Sciamat. In monasterio Kfiifan prius habitavit, deinde in S. Maronis in Chefar-hai; postea in S. Georgio in pago Alcafr, propter discordias et bella, quae inter Syriae gubernatores fervebant, contra etiam Aegyptios, Tartaros, Graecos et Quaresmios. Huius Patriarchae tempore, vixit Nechitas Maronita, qui librum de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio composuit. Sedit Daniel 14 an., vel 5, cui successit

XCII. Patr. **Simeon** an. 1244. Hoc tempore Saraceni, Antiochiam, Latinis aufugentibus, occuparunt. Anno 1256 Papa Alexander IV, eodem modo ac Hieremiae, eius electionem confirmavit. Sedit 21 an, et eum excepit.

XCIII. Patr. **Iacobus** anno 1266, qui in monasterio B. Virginis Maifuk vixit. Sedit hic an. 12, et post ipsum Patriarchalem Sedem anno 1278, ascendit

XCIV. Patr. **Daniel** ex vico Had-Scit in regione Besciarri, et sedit 8. an. Eius tempore, Saifuddin Kelavun, omnem provinciam Besciarri subiecit. Post hunc sedit anno 1286

XCV. Patr. **Lucas**, 11. an. ex pago Benuhran, in Besciarri finibus, posito. Hunc, tamquam Apollinaris haeretici, di-

scipulum accusarunt, Divinitatem in Christo, ipsam **animam** rationalem esse, profitentis. Papae Alexandri imperio, depositum fuisse, dicitur. Sed hoc falsum esse, aperte cognoscitur praesertim auctoritate et testimonio Addovaihi Patr. Antiocheni, qui Patr. Lucam, hac calumnia liberavit. Anno 1297 in pace quievit, et eius locum obtinuit

XCVI. Patr. **Simeon,** qui sedit an. 25 succedente

XCVII. Patr. **Ioanne** an. 1322. qui, 35 vel 38 an. sedit. Deinde electus fuit

XCVIII. Patr. **S. Gabriel.** Martyr an 1357. Ex pago Hegulae, in Provincia Bialos erat, 10 an. sedit. Extra Tripolim anno 1367, in quo maxima contra Episcopos, persecutio fuit, igne crematus Martyr occubuit. Huic successit

XCIX. Patr. **David,** Ioannes dictus, in monasterio Mar Serchis-Alcarn, in Hardin provinciae Botri, permansit. Hic 37 an. sedit, et plures, eum, ut Iacobitarum haeresis sectatorem habuerunt, et hac de causa, Synodus ordine, depositum fuisse dixerunt; ast hoc a veritate alienum est, ut ostendit Patr. Stephanus Addovaihi in libro defensionis Maronitarum. Anno 1404 electus fuit

C. Patr. **Ioannes Algiagi** ex provincia Bibli. Hic prius in Monasterio Saideth-Maifuk. commoratus est, deinde in monasterio B. Virginis Cannubin, ubi usque adhuc Patriarchae residentia manet; ex hac mortali vita ad Dominum migravit anno 1445, postquam 41 an. sedisset. Eius locum obtinuit

CI. Patr. **Iacobus Ebn-Hid Hadethensis,** qui sedit 13 an, et anno 1458 obiit, et Patriarcha constituitur

CII. Patr. **Petrus Bar-Ioseph** dictus etiam Bar-Hassan Hadethensis, qui Sedem tenuit 44. an., et anno 1502 defunctus est, et Patriarchalem Sedem obtinuit eius Nepos

CIII. Patr. **Simeon Bar-David** Hadethensis die 12 Octobris. Leo X. Pontifex, huius Patriarchae curae, omnes, Orientis Christifideles commisit, et eius tempore etiam vixit Episcopus Gabriel Barclaius Maronita Patr. Simeon sedit 22 an. et cum iam centum viginti aetatis annos superasset, anno 1524 obiit, et eum excepit.

CIV. Patr. **Moyses Bar-Sihade Accarensis** qui sedit an. 45, et anno 1567, aut 1565 et 60 diebus, aut anno 1569 iuxta varios auctores, defunctus est, cui successit.

CV. Patr. **Michael Bar-Iuhannan Ruzzi Bekufensis**, qui sedit an. 12 et anno 1581 ex hac vita migravit, et in eius locum suffectus est

CVI. Patr. **Sergius Ruzzi**, qui sedit 15 an. et anno 1596 obiit, cui successit Nepos eius

CVII. Patr. **Ioseph. Bar-Musa Ruzzi** qui 12. an. sedit et in pace quievit die 26 Martii anni 1608, aut 1605 iuxta alios. Hoc tempore Antiochena Sedes pastore orbata fuit, per novem menses belli et vexationum causa. Post paucos annos electus fuit

CVIII. Patr. **Ioannes Bar-Machluf**, qui sedit an. 24 vel 25. Hic Patriarcha visionem habuit in monte Libano; apparuerunt ei quidam Sancti veste alba induti, in Provinciam Kesrovan pergentes (haec visio narratur in libro Abrahami Hecchellensis, asservato *in Bib. Vat. N. 410*). Hic Patriarcha in osculo Domini obiit anno 1633, cui successit

CIX. Patr. **Georgius Bar-Amaira Edenensis**, Collegii Maronitarum de Urbe alumnus. Hic, Syriacae linguae, Grammaticam composuit, et vulgavit, in qua hanc linguam omnibus aliis antiquiorem esse ostendit, et Novum Testamentum etiam diligenter in hanc linguam transtulit. Obiit die 24 Iulii anni 1644. Post 17 dies eligitur

CX. Patr. **Ioseph Bar-Alib Aourensis**, qui sedit an. 4 et anno 1648 mortuus est. Novem, post eius mortem, diebus Patriarchalem Sedem ascendit, summus ille Vir pietate et Sanctitate omnibus notus

CXI. Patr. **Ioannes Sefravensis** qui an. 8. sedit, et anno 1656 ad Deum migravit, et die nona ab eius transitu, eligitur prima die anni 1657

CXII. Patr. **Georgius Sebelensis**. Hic Antiochenam Ecclesiam 14 annis gubernavit, et die 12 Aprilis anni 1670 defunctus est. Quadraginta, ab eius transitu, diebus transactis die 20 Maii electus fuit ille Pater, Sanctus inter perfectos, Beatus inter virtuosos Revm̃us et Illm̃us in sanctitate et scientia

CXIII. Patr. **Stephanus Dovaihi Ehdenensis** Collegii Maronitarum de Urbe alumnus, qui sedit an. 34. exceptis decem et septem diebus. Ipse scripsit historiam temporum Librum decem luminum, catenam Maronitarum nationis; de Caeremoniis et Ecclesiasticis Ordinationibus; tres sermones de praedicatione; brevem Consecrationum explanationem; de Paradiso ter-

restri. Insuper plures ecclesiasticos libros collegit, et ab erroribus emendavit, vel immutavit. Dum in Patriarchatu vixit, plura ei evenerunt infortunia, tandem in pace quievit die 3 Maii anni 1704, in monasterio Cannubin (Coenobium) et die 12 eiusdem mensis, ei successit

CXIV. Patr. **Gabriel Belusani**. Hic sedit 1 an. et menses quinque: et obiit anno 1705, viginti diebus postquam pallium obtinuerat. Huic successit die 5 Novembris

CXV. Patr. **Iacobus Evodius Hasrunensis**, qui adhuc sedit; Deus longam ei vitam tribuat, et ab omni periculo incolumem servet, Amen.

Iosephi Simonii Assemani series usque huc protrahitur, ad nostram aetatem, quae sequuntur, perveniunt.

Iacobus Evodius anno 1705, Antiochenam Sedem ascendit, et an. 28 sedit, defunctus est anno 1733. Huic successit.

CXVI. Patr. **Ioseph. Dargam Alchasen**, huius nominis quartus post S. Ioannem Maronem Hic prius Gustae Episcopus erat, et Patriarcha electus est die 24 Februarii anni 1733, quem Clemens XII anno 1734, confirmavit, per Delegatum suum. Patr. Abdalla filium Alhage-Aun de vico Ehgialtun. Mortuus est hic Patriarcha die 13 Maii anni 1742 in Monasterio Raifun, et in ecclesia S. Eliae Gustae sepultus fuit.

CXVII. Patr. **Simeon Evodius**. Damasci Episcopus eligitur die 16 Martii anni 1743, a Benedicto XIV, qui eum confirmavit die 3 Iulii anni 1744 perProcuratorem Iosephum Simonem Assemani, huius opusculi auctorem. In pace quievit die 12 Februarii anni 1756, in monasterio B. Virginis Mash–musci ubi sepultus est.

CXVIII. Patr. **Tobias Alchasen** huius nominis primus, Cypri Episcopus die 28 Februarii anni 1756, Antiochenam Sedem obtinuit, et a Benedicto XIV die 27 Martii 1757 per delegatum suum Arsenium Dominicum Aleppinum Heliopolitanum Episcopum confirmationem habuit. Hic in Domino obdormivit die 19 Maii anni 1766 in regione Egialtun, et ibi in Ecclesia B. Virginis. sepelitur.

